



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fulvii Androtii Societ: Iesv Theologi Opuscula spiritualia

Androzzi, Fulvio

Coloniæ, 1611

Peccati mortalis quæ mala.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48641)

hoc mortale causat, & odium incredibile quo Deus illud prosequitur; hoc enim tale ac tantum est, ut qui bene cognosceret, plus horroris & tremoris ex sola illius nominatione conciperet & sentiret, quàm si vel fulgura, seu tonitrua, vel aliquem terræ motum audiret, & est adeò quoque foedum, ut si illius foeditas ac turpitudine posset videri, potius quis eligere seipsum conijcere in ardentissimi ignis fornacem, unde nunquam posset exire, quàm videre turpitudinem ipsius peccati, ut in se est, quemadmodum quædam sancta dixit: unde bonum erit, frequenter considerare mala, quæ per peccata mortalia causantur.

Peccati mortalis quæ mala.

Dicit S. Chrysostomus nullum damnatum recuperari vel restaurari dolore, nisi illud tantum quod per peccatum causatur: Bene igitur considerandum, quid homo per peccatum mortale perdat.

I. Perdit gratiã S. Spiritus, quæ maior est omni dono, quod Deus in hoc mundo alicui creaturæ concedit. Si autem

VIDUITATIS.

95

tem tantopere dolemus quando exci-
dimus gratia alicuius Principis, quid
erit de gratia Dei?

2. Facit perdere amorem Dei, qui à
gratia procedit; Videtur tibi forsã exi-
gua hæc iactura?

3. Priuat hominem virtutibus infu-
sis, & donis Spiritus sancti, quibus mu-
niti, fortes eramus contra inimicos
nostros, sine illis enim sumus ad instar *iudic. 19.*
Sampsonis in manu Phylistinorum.
abrasis crinibus.

4. Perdimus ius nostrum cœlestis
Hæreditatis, ad quam non habemus
amplius prætensionem.

5. Amitimus quoque spiritum ad-
optionis per quem filij Dei sumus, &
clamamus Abba Pater.

6. Priuamur etiam paterna Dei pro-
uidencia, qua ipse gubernat suauiter o-
mnes in gratia constitutos quibus om-
nia cooperantur in bonum.

7. Facimus etiam iacturam pacis &
serenitatis conscientie nostræ, quam tol-
lit peccatum mortale.

8. Priuat nos consolationibus Spiri-
tus sancti, & omnibus meritis bono-
rum operum, quæ quis toto vitæ suæ
tempore fecit.

9. Priuat participatione bonorum
c

oꝝ

operum quæ in Ecclesia Dei fiunt quibus non gaudent amplius vt antè.

10. Facit etiam nos perdere merita passionis Domini, cuius pretiosissimus sanguis, in vanum & frustra pro illo effusus, qui existit in peccato mortali, is enim vt dicit S. Paulus quantum in se est, Christum deuò crucifigit.

11. Perdimus quoque omnia opera bona, quæ facimus, vt pote, orationes, ieiunia, elemosinas, & quoduis aliud bonum opus, in peccato mortali factū, ista omnia nihil iuuant ad vitam æternam promerendam, quamuis valere possint ad alia quædam nempe vt disponant hominem ad contritionem, vel ad consequenda bona tēporalia sanitatem, & alia huiusmodi similia.

12. Priuat nos sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, cuius iactura tanta est, vt si quis eam bene sibi perspectam & cognitam haberet solummodo hanc, tota vita sua flendo, non possit satis plangere.

13. Non tantū dū homo existit in peccato mortali, nō potest gustare hoc Sacramentum (immo quo magis peccat, eò longiùs ab eo recedit) sed etiā quando reditiā ad pœnitentiā, hoc opus, hic labor est vt gustet, considerata enim nī-

mīa

ma peccatorū suorum multitudi-
ne, & propria sua indignitate cum tergiuer-
satione remanet suspensus.

14. Vnum peccatū mortale, trahit al-
terū, & sic paulatim homo accumulatur
multa; hinc sequuntur mali habitus, qui
postea caussant multū sudoris etiam ijs
qui ad cor conuertuntur, & seriò rede-
unt ad poenitentiam.

15. Peccatum mortale facit hominē
lucrari, seu promereri infernum, deleri
ex libro vitæ, ex filio Dei seruum Dia-
boli, ex templo Sanctissime Trinitatis,
nidum serpentum. Ex sponsa Christi,
adulterum sathanæ, ex domo Dei spe-
luncā latronum, ex vase electionis vas
corruptionis, ex cubili spiritus sancti,
volutabrū porcorum, ex fratre vel so-
rore Angelorum, Socium Dæmonum,
ex columba volante ad cælum, colu-
brum reptantium in terra. Postremò
Deum maxima afficit iniuria, caussat e-
nim vt breue aliquod & momentaneū
gaudium, inane ac prauum desiderium,
vel alioquin inordinatus aliquis appe-
titus præponatur suæ Diuinæ Maiesta-
ti (& sic Barrabas Christo; tollit
enim coronam, quæ Deo ta-
quam vltimo fini debetur, & dat

eam suæ delectioni, quod est auferre coronam à Creatore & dare creaturæ, quæ est horrenda res.

De odio contra peccatum mortale.

Dicit Doct. quidã Catholicus, si omnes intellectus fierent vnus, & omnes linguæ coalescerent in vnam, non possent neque comprehendere, neque sanctis dicere vel explicare odium, quod Deus habet contra peccatum mortale; quod sic probari potest.

1. Quò quis est melior eò magis amat bonum, & odio habet malum: sed Deus infinitæ est bonitatis, infinitè igitur odio habet peccatum.

2. Deus odit peccatum, tanto, quanto odio dignum est, secundum proportionem suæ malitiæ, quæ est infinita, eum sit contra Deum, qui est infinitæ Maiestatis, infinitè igitur odit.

3. Cùm Deus sit infinitæ dignitatis, & peccatum è contra sit infiniti ponderis seu malignitatis, infinito etiã odio dignum est.

4. Deus tantopere illud odit, ut propter peccatum non pepercerit etiam proprio filio suo, qui eum pro nobis tradere, & infinito precio sui preciosissimi sanguinis nos redimeret à peccato,